



† R. P. Franciscus Tournay (1855–1934)

(Prov. Belg.)

Genuinus ille S. Alfonsi filius natus erat in civitate episcopali, cuius et ipse nomen habebat, 31 Dec. 1855. In sua familia prima hausit principia illius eximiae pietatis, quae postea in eo tam enixe elucere debebat. Non mirum ergo quod ab ipsa tenera aetate iam sese non ad mundum, sed ad altiora senserit vocatum atque post humaniora studia in Seminarium maius se contulerit. Omnibus iam carus propter indolis amoenitatem, a condiscipulis ad altam eius staturam alludentibus « Magnus Franciscus » (*le grand François*) vocabatur. — Ibi minores ordines recepit.

Religiosae vocationis occasio fuit litterarum commercium cum alio Seminarista, iam nostrum in novitiatum ingresso; variisque superatis obstaculis et ipse Trudonopolim illum secutus est et die 15 Oct. 1878 sanctum suscepit habitum. Tirocinium transegit sub directione eximii magistri P. Van Aertselaer, qui postea Provincialis factus est. Anno sequenti, eodem die, totum se consecravit Iesu Christo et Congregationi. Quod tunc promisit, tota vita mirifice comprobavit.

Statim professus in Wittemiensem studentatum missus est, ut sua theologica studia absolveret. Ibi sacerdotalem ordinationem 17 Oct. 1880 illi contulit Rm̄us Schaap C. SS. R., Apostolicus Vicarius Surinamensis.

Vix anno elapso Trudonopolim revertit, Sub-Director « parvi studentatus », et anno sequenti, etsi nondum 30 annos natus, Magister novitiorum nominatus est. Statim apparuit omnibus instructus qualitatibus ad hoc gravissimum munus implendum necessariis. Totus in eo erat ut tirones imbueret spiritu Congregationis et orationis, illosque sancto ardore impleret ad vitia expurgenda virtutesque acquirendas. — Ex altera parte Patris Magistri affabilitas corda omnium tironum ad illum quasi sponte trahebat. Conferentiae speciatim omnibus adeo gratae erant, ut feria V ea privari novitiis magna fuerit mortificatio. Iam tunc P. Kockerols Provincialis frequenter dicebat se nullum meliorem in hoc genere, conferentiarum scil., oratorem habere in tota Provincia quam Patrem Magistram. — *Ex fructu arbor cognoscitur* (Matth. 12, 33). Inter suavissimos fructus Magistri P. Tournay numerandus Servus Dei Alfridus Pampalon, cuius causa beatificationis in Curia Romana iam a pluribus annis introducta est.

Per tria triennia (1884–1893) R. P. Tournay munus Patris Magistri exercuerat, cum Rm̄us P. Generalis illum, experientia divitem, Bruxellas

misit *Consultorem Provinciale*. Quod mandatum duplici vice adimplevit, scil. 1893–1894, et postea 1911–1915. — Inter utramque vicem *Rector* factus est, primo Tornaci (1898–1901), deinde Montibus (1901–1904). Utrobique novus Superior cum Psalmista (25, 8) cantare poterat: *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae*. Nil etenim antiquius habebat quam templa divina adornare, speciatim Tornaci, ita ut ecclesiam nostram pulcherrimam ac devotioni aptissimam reddiderit.

Nominationibus a. 1904 a gubernationis sollicitudinibus liberatus *exultavit ut gigas ad currendam viam* (Ps. 18, 6), i. e. ad annuntiandum omnibus verbum salutis, quod exhinc per 30 annos facere non cessavit. Missiones proprie dictas aliquas praedicavit, et quidem cum successu. Attamen *gens devota* erat potior pars eius, seseque illi fere exclusive consecravit. Incredibile est quot sermones, quotve exercitia sacerdotibus, seminaristis, personis religiosis vel collegiis puerorum et puellarum praedicaverit. Eminentebant in illo omnia optimi oratoris sacri dona: zelus ardens, simplicitas ac simul dignitas, S. Scripturae, theologiae dogmaticae, asceticae vel etiam mysticae scientia, facilis et imperturbabilis memoria, unctio denique incomparabilis et actio communicativa. « Hic Pater, exclamavit aliquis post sermonem, nos facit coelum digito tangere! »

Bruxellis praesertim apud viros sodalicii S. Familiae memoria P. Tournay in sempiterna benedictione erit. Fere per 20 annos illorum remansit « Director » neque unquam cessavit illis maximopere placere. Quanta inter illos moestitia, cum aetatis debilitate superveniente se vidit coactum « amicos suos » relinquere!

Interim, tanti oratoris fama limites patrios praetereunte, pluries in exteris nationes se contulit, v. g. in Italiam et Angliam, immo in Hispaniam, ubi coram Regina-Matre recessum, qui Maiestati S. valde placuit, praedicavit.

Sacerdotibus vero usque ad ultimas vires verbum Dei annuntiavit. Iam a longo tempore, cum maximo illorum et delectamento et fructu, « menstruas recollectiones sacerdotales » Bruxellis dirigebat, tantusque erat venerabilium Dominorum erga P. Tournay affectus, ut per plures annos continuos illum, etsi invitum, apud se retinuerint, usquedum, fractis iam viribus, ab illis quasi vi se avellere debuerit!

Neque haec omnia apostolico ardori Patris sufficiebant. Tempus etiam invenit calami apostolatuum exercendi, compluraque nobis scripta reliquit, inter quae enuntiare velim « *La Congrégation du T. S. Rédempteur* », in quo opusculo eximie et cum filiali amore de sua Matre, Congregatione scilicet, disserit.

Immo et usque ad infideles, secundum Fundatoris nostri Regularumque votum, sese porrigebat zelus R. P. Tournay, etsi non per corporalem prae-

sentiam, saltem per larga pecuniaria auxilia, quae per varias industrias confratribus, in vastis et incultis Congolensibus regionibus aestuantibus, procurabat, ita ut ipse complures domus ecclesiasque aedificarit et ornarit.

Liceat nunc verbulum de interiore vita defuncti addere. Pietas nota fuit eius characteristica. Vere cum Apostolo dicere poterat: *Mihi enim vivere Christus est* (Phil. 1. 21). Quae pietas erat simplex, etsi profunda, illuminata et vivida, omnes actus eius vivificans. Quodam die confratribus confessus est se quotidie tempore silentii pomeridiani « aspirare mortem D. N. I. Ch. »; scil. per intentionem et amorem conabatur doloribus mortique Redemptoris nostri compati, suamque propriam mortem anticipando cum morte Christi unire.

Sed iam finem inspiciamus istius longae, sanctae, laboriosaeque vitae. « Post labores dolores », dicit adagium Redemptoricum, Deo sic permitte, ut *funditus* servos suos purificet illisque postea pulchriorem concedat coronam. Revera iam diu confrater noster dilectus Crucem cognoverat. « Multa in Congregatione passus sum! » dixit aliquando amicis. At hanc Crucem amplectebatur non solum patienter, sed etiam amanter, ut verus Iesu Christi Crucifixi discipulus. — A pluribus iam annis surditatis infirmitas, magis ac magis in dies crescendo, illi causa erat magnae mortificationis, et in operibus apostolicis et in vita communitatis.

Denique anni illi venerunt, de quibus homo dicit: *Non mihi placent* (Eccle. 12. 1). Cum mense Iulio 1932 subitanea apoplexia correptus est, Calvarium suum incepit ascendere. Paulatim ipsae facultates intellectuales debilitatae sunt, quod ipse interdum, eheu! sentiebat. Quin etiam sacram communionem debuit relinquere — ultimam suam consolationem! Semper tamen et ubique magnae fuit aedificationi, praesertim orationis spiritu. Reapse *sine intermissione* orabat (cfr. I Thess. 5. 17), speciatim continuo recitans Rosarium. — Tandem, mentis compos magna cum devotione ultima recepit sacramenta, placidissimeque emisit spiritum die 1 Ianuarii 1934.

Funerum sollemnia nobis fuerunt magnae consolationi per publicam venerationis erga defunctum significationem, perque multitudinem adstantium: sacerdotum, religiosorum et religiosarum, sodalium S. Familiae multorumque aliorum fidelium.

Eia, carissime Pater, generose Iesu Christi athleta vereque Redemptorista, sicut Apostolus *bonum certamen certasti, cursum consummasti* (2 Tim. 4. 7). Iam a tantis laboribus tuis quiesce, coronamque tuam accipe! Et in comitatu S. P. N. Alfonsi, totque confratrum iam in gloria degentium, praesertim Venerabilis P. Alfr. Pampalon, filii tui spiritualis, Deum contemplare, illoque frui, de quo tam pulchre locutus es in terra!